Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Aut qui populi meditati sunt inania? Aut
quis est xps? Doce me: quia delectat au
dire me sermones tuos. Accipiens autem
beatus georgius os suum dixit. Audi alex
andria. Ipse per sapientiam suam plasmavit ho
minem ad similitudinem suam: accipiens
limum terre. Dicit ei regina. Quomodo
hec terra caro facta est? Aut quomodo
corium aut vene aut pectus. caput. aut
oculi vel aures? Quomodo lingua aut fa
cies pedes aut manus vel cetera que corporis
sunt? Georgius ait ei. Nunquid non totam
terram? sed per sapientiam suam edificavit ea. et
operibus variis artifex summus fecit. Aut
quomodo possum tibi indicare quem
admodum factus est homo. non intelligere
poteris quoniam deleantur peccata hominis
quem deus plasmavit per suam sapientiam
et ad similitudinem suam fecit. Postquam celum
cameratum est. et sol apparuit et stelle. et
luna in seculo. Propter quem deus lucem
dedit: et ornamenta celi et terre facta sunt.
Audi regina alexandria quomodo ipse est
dominus ihesus xpus filius dei: qui homo factus
est. Alexandria dixit. Georgi famule xpi
delectat me audire sermones tuos. Dic
mihi quomodo ipse xpus deus passus est. et
de celo in terra apparuit? Dicit ei georgius.
Quia omnes homines adversi sacrificabant
demonibus: et ydolis serviebant. Dicit
regina. Et dic mihi quomodo demones sunt?
Dicit ad eam Georgius. Audi regina da
vid prophetam dicentem. Qui sedes super che
rubin appare: excita potentiam et veni
ut salvos facias nos. In spiritu sancto propheta
vit. et iterum dicit. Descendit sicut pluvia in
vellus. Vellus vero virgo est. Audi
regina abacuc prophetam dicentem. Quia
audivi auditum tuum et timui: consider
avi opera tua et expavi. Alexandria dixit.

Quid audivit propheta et timuit? Aut quod
consideravit et expavit? Georgius ait
ad eam. Audi regina. propheta dicit. Audi
quomodo xps ihesus venit. timuit. consideravit
quomodo cum hominibus conversatus est: et ex
pavit cum vidisset opera eius. Regina
vero ait. Vere omnia que dicimus vera
sunt. delectat me audire te domine mi georgi.
Adora dominum tuum ut recedant a me ydola
tenebrarum et opera eorum. Dicit ei georgius. Cre
de in crucifixum salvatorem meum. Dicit re
gina beato georgio. Timeo imperatorem quoniam
iniquus est et carnifex: sed rogo te secre
to habeas sermones tuos. quousque con
prehendam portas dei. Dicit ei sanctus georgius.
Permitte me dormire paululum: et non est am
plius locutus ad eam. Venerabilis autem
famulus dei flectens genua sua in oratio
nem usque ad diem: et somnus non dominabatur
ei. Lucescente autem die iussit impera
tor sanctum georgium templum ingredi. Georgius
vero ait. Audi me imperator. Rogo ut
omnes reges colligas ut sint in pala
cio: ego enim et deorum sacerdotes: et omnis
militum exercitus conveniamus in unum. et vi
deant quia immolatus sum apollini.
Tunc precepit imperator precones undique cla
mare fortiter. Omnes populi convenite in
templum. quia georgius xpi famulus ingre
ditur sacrificare magno deo apollini.
Mulier vero cuius filius cecus fuerat.
et per orationes sancti georgii visum receperat: ho
ra eadem dissipavit crines capitis sui.
sciditque vestimenta sua. et tulit calicium
suum. et aspiciens populum ibat et clamabat
dicens. Ve tibi georgi. quia mortuos susci
tasti. et cecos videre fecisti. et claudos am
bulare: quinque furcam aridam fecisti flo
rere. et mensam meam omni bono replesti:
operatus es multa bona contra inimicum.